



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. III. De Libelli Oblatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

etiam cum juramento. Ex qua Bart *in l. Si quis pro eo num. 8. D. De fideiuf. eleganter infert*, quod venditio earum rerum, quæ ædibus infixæ sunt, veluti sunt marmora, non confirmetur juramento; quod ratione publicæ utilitatis earum alienatio prohibita sit, ne reformetur urbis aspectus, *l. Semarius. §. 2. D. De contrah. empt. Et l. Cetera. 41. §. 1. D. De legat. 1.* Secus si prohibitio facta esset principaliter in favorem singulorum: veluti si civibus Ingol-

stadiensibus immunitas à vectigalibus esset concessa, vel ne alibi quàm Ingolstadii conveniantur, poterunt iidem cives singulares huic immunitati vel privilegio fori renuntiare, quod scilicet principaliter eorum favorem respiciat, *per text. in c. Dilacti. 17. hoc tit.* Simile est de feriis in favorem hominum introductis, ut sunt feriæ mesium & vindemiarum, *c. ult. inf. De feriis.*

IN TIT. III. DE LIBELLI OBLATIONE.

SUMMARIA.

1. *In libello causa petitionis exprimi debet.*
2. *Et quidem in personali actione causa remota,*
3. *In reali proxima causa.*

Vide in hunc Titulum Andr. Gail, *lib. 1. Obser. 61. cum aliquos seqq.* Illud unum tantummodò moneo, quod in libello semper causa exprimi debeat: quæ duplex est, vel remota, vel proxima. *Causam remotam in personali actione exprimere sufficit hoc modo: Peto à te centum ex mutuo, ex commodato, vel simili con-

tractu. Nam inde præsumitur causa proxima, quæ est obligatio, quam solam exprimere non sufficit, propter incertitudinem, *c. fin. hoc tit.* *In reali verò actione proxima causa est exprimenda, quæ est dominium, vel quasi: ut, Peto hanc rem, quia mea est, vel quasi. Non autem necesse est, ut exprimat causa remota; videlicet, Peto hanc rem, quia mihi est vendita, legata, vel donata: & hoc ideo, quia dominium, vel quasi, non nisi ex una causa nobis obtingere potest, *l. 3. §. ex plurib. D. De acq. vel amit. poss.* Nam hæc probatur in progressu iudicii.

IN TIT. IV. DE MUTUIS PETITIONIBVS,

In Cap. 1.

SUMMARIA.

1. *Facti species.*
2. 9. *Reconventionem prorogatur jurisdictio.*
3. *Reconventio coram arbitris non habet locum.*
4. *Differentia quoad hoc inter arbitrum & iudicem delegatum.*
5. *Reconventio an locum habeat contra Clericum.*
6. *Quando opponenda.*
7. *An una eademque sententiâ terminanda utraque causa.*
8. *Reconventio quibus casibus cesset.*

Facti species hæc proponitur. Plebanus, id est, Parochus & Clerici Maturinenses conveniant Monasterium Matur. coram Iudicibus à Sede Apostolica delegatis Monasterium contra coram iisdem Iudicibus conveniat eisdem Plebanum & Clericos; puta conventionis causa fuit mutuum; reconventionis emptio vel venditio, aut simile quid. De hac reconventionem consultus S. Pont. an ea admitti deberet, rescribit *hoc c. n.* causam admitti oportere: hoc tamen servato ordine, ut, propositâ prius actione, quam

præterdit Plebanus & Clerici, deinde responsione subsecutâ ex parte Monasterii, respondeatur quoque in continenti ipsi Monasterio à Plebano & Clericis; & sic ordine successivo Iudices utramque partem audiendo, per transactionem aut sententiam suam causas dirimant. Itaque hoc textu mutua petitio est: una, quam obtendunt Plebanus & Clerici; altera, quam Monasterium. Illam conventionem vocamus ex parte actorum, hanc reconventionem ex parte Monasterii. Hinc Tit. nostri inscriptio. *De mutuis petitionibus.*

Et est notandum, per reconventionem prorogari jurisdictionem Iudicis, qui alias Iudex non est: ut videmus hic in delegatis Iudicibus in causa mutui, qui per reconventionem fiunt Iudices & in causa empti vel venditi, quæ delegatione suâ non continebatur. Idem est & in ordinario Iudice, *per text. in l. Cum Papinianus. 13. Et Auth. Et consequenter. C. De sens. Et interloc. om. iud.* ubi & hæc ratio redditur à Justiniano: Cujus in agendo, inquit, observat arbitrium, eum habere & contra se Iudicem in eodem negotio non dedignetur.